



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XXVI. De Oblocutoribus in Regulares B. Meinulphi Monasterii  
Bodecensis & quid singulis ob hoc contingebat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXVI.

*De Oblocutoribus in Regulares B. Meinulphi Monasterii  
Bodecensis & quid singulis ob hoc contingebat.*

Cum jam de ablatione bonorum temporalium, de penuria ciborum, de gravissimo labore dictum est, restat nunc dicendum de oblocutoribus, quos Regulares, dum primò Monasterium B. MEINULPHI reformare cæperunt, sine ulla intermissione adversum se graviter pertulerunt. Multi namque in vicinis circumquaque dicti Monasterii locis tam de Clericis quàm de Civibus, & maximè, qui in populo majores habebantur, prædictorum Regularium famam ex eo, quòd religiosa eorum vita à sua velut monstruosa videbatur, denigrare laborabant. Præterea Suffraganeus quidam nomine Tilmannus ori suo minimè parcens in Regulares supradictos Reverendissimi Episcopi Ecclesiæ Paderbornensis Vicarius fieri laborabat; sed Episcopus audito quid oblocutionis in eosdem fecerat Regulares, Vicariatûs sui officium denegavit; & ob hoc dolore stimulatus ac confusione peresus exteras petiit regiones, & velut peregrinus in terra aliena noscitur esse defunctus. Etiam quidam Prælatus præsentiam prædictorum Regularium graviter ferens oblocutores verbis eos lædere non formidans inter cætera ajebat: dictos Regulares nidificare quidem posse in Monasterio Bodecensi, sed Juvenes ibidem minimè parturire, hic dum Monasterio Bodecensi absque rationabili causâ contrarius exstiterat, nec eidem reconciliatus postmodum habebatur, finem vitæ suæ non laudabiliter finivit. Quomodo verò præfati Regulares DEO fortiter adjuvante, imò eo totum perficiente in Monasterio suo Bodecensi nidificaverint, cunctis noscitur manifestum, & nisi iidem Regulares fortiter ibidem laborando nidificassent, præfatus locus propter malum Patriæ statum jam diu in solitudinem redactus fuisset, ut ex certis causis jam opinor. Cætera in hujus opusculi processu pius lector invenire potest, ubi de Sexto Priore prædicti Monasterii cætera referuntur.